



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 64. Edictum Sprensibus in Comitibus promulgatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. A.C 1529. Senatus ex ducentis sexaginta Viris compositus ratum habebat. Ejusmodi igitur agendi ratio Ferdinandum adigebat, ut urbium Imperialium Deputatis hanc petulantiam in Comitibus Spirensibus exprobraret.

§. LXIV.

Edictum Spirensibus in Comitibus promulgatum.

Præterea inter Principes Spiræ congregatos diu acriterque de restauranda Wormatiensis edicti auctoritate ultro citroque disceptabatur, ac præpmissis Ferdinandus illud omnino executioni mandandum contendebat, hancque ob rem a comitiis Argentinensem Deputatum nomine Daniele Miegum excludi jubebat. Equidem ceteræ urbes, quas itidem hæc agendi ratio spectabat, pro illo deprecabantur, simulque postulabant, ut servata Imperii consuetudine Deputati in jurium suorum usu minime turbarentur, donec lis in libera juxta ac legitima Synodo dirimeretur; quinimo minari audebant, quod nulla prorsus subsidia pro bello Turcico suppeditare velint, nisi eorum postulatis mos geratur. Verum omnes eorum minæ precesque in irritum cecidere, nec ultra
Argen-

Argentinenſis Deputatus ad comitia ad-
mittebatur. Sæcnl. XVI.
A C. 1529.

Ut autem inter diſſidentes aliqua ſaltem concordia reſtitueretur, ex plurimorum Suffragiis die decima tertia Aprilis novum condebatur decretum, quo edictum in prioribus comitiis Spirenſibus promulgatum explicabatur. In eo jam olim ſtatutum erat, *ut cuilibet Principum ac Statuum Imperii circa Wormatienſe edictum ita agere liceat, ut hi Deo ſimul & Cæſari juſtam aliquando poſſent reddere facti ſui rationem* (*).

Pallavic. hiſt. Conc. l. 2. c. 8. Sleidan. l. 6. pag. 19.

Cum vero non pauci hæc ipſa verba in perverſum prorfus ſenſum detorque-
rent, indeque nova varii generis dogmata promiſcue propugnandi occaſionem captarent, hinc ad coercendam ejusmodi libertatem Principes novum promulgabant edictum hujus tenoris:
Qui Wormatienſe Cæſaris edictum contra Lutheri hæreſin hucusque ſervarunt, illud deinceps quoque ſervent ad Concilium uſque, de quo Cæſar jam prope certam ſpem facit, & populum etiam huc adſtringant: qui vero doctrinæ genus mutarunt, neque diſcedere jam ab eo poſſunt abſque metu ſeditionis, ut hi ſibi temperent impoſterum, nec aliquid præterea innovent uſque ad Concilii tempus:

Coch. hoc an.

K k 5 deinde

(*). Vide Lib. CXXX. §. LXXVI. pag.

Sæcul. XVI
A.C. 1529.

deinde ne doctrina eorum, qui de Cæna Do-
mini secus, quam Ecclesia, docent, recipia-
tur, neve abrogetur Missa: nec iis in locis,
ubi novum est doctrinæ genus, impedimen-
tum fiat, quo minus ad Missam, qui volent,
accedant: Anabaptistis, qui suum dogma
pertinaciter defendunt, capitis pœna consti-
tuitur, & Ecclesiæ Ministris injungitur, ut
juxta probatam ab Ecclesia interpretationem
doceant, alia vero dogmata, de quibus for-
te disputari posset, non attingant, sed Con-
cilii Decretum expectent: ad hæc, ut pacem
inter se colant omnes Ordines, & Religio-
nis caussa nec damnum invicem dent, nec
alter alterius ditioni subditos in suam fidem,
aut tutelam recipiant: qui secus fecerint,
proscriptorum numero jubentur esse.

§. LXV.

Quorundam Principum oppositio con-
tra hoc edictum.

Sleid. l. 6.
pag. 196.
Pallav. l. 2.
c. 18. p. 116.

Quamvis hoc edictum non solum mo-
derate admodum esset conceptum,
sed etiam Principibus, qui a vera fide
defecerant, favere videretur, nihilomi-
nus haud deerant, qui eidem graviter
oblucentur. Hos inter præcipui erant
Saxoniae, & Brandenburgi Electores,
Ernestus & Franciscus Luneburgi Du-
ces, Philippus Hassiæ Landgravius, &
Wolfgangus Anhaltinus Princeps, qui
omnes